DE FEBRE C

DIARRHEA, OBSTRUCTIONE I
PETENTIA, ET SINGULTU

CONSULTATI

QUA

JOANNES PAUL

PARMENSIS P

Philoſophiæ, & Medicinæ

SALUTEM QUAMPLU

ILLUSTRISS., DOCTISS., E

NICOLAO G

REGIÆ CELSITUDIN

IOANNIS G

MAGNI ÆTRU

DIGNISSIMO A



ILLUSTRISS.



Ullum omninò, el
que genus Te la
quinimmò omni
poſſides, eiſque
ſplendorem. Q
litteras, ſenili attramento
exarratas, in lucem prodi
gnitas nomine digneris, (

A

nevolentiæ ſinu excipere exopto ; atque oro ; Tantum me audere jubet tua ſingularis erga bonas Artes propenſio , & ingenua ergà litterarum Cultores humanitas , & præcipuè erga me obſequentiſſimum , licet , omni Jure , de tua benevolentia immeritum . Cœlum diu TE ſoſpitet in litterarum , & Litteratorum patrocinium , meque ſemper ama , prout amaris , TIBIQUE pateat , meæ obſervantiæ , & Votorum teſſera , ſciaſque me ſemper eſſe gloriari .

ILLUSTRISS. DOMINATIONIS TUÆ

Famulus Addictiſſimus
JOANNES PAULUS FERRARI.



DEO AUSPICE, ET AB EO LU



Trenuissimus Militum Dux, generis minus, quam animi præstantia exim rum quadraginta novem, habitus ant gracilis, & ex carnis, structuræ med post innordinatam vivendi rationem quenti acquæ gelidæ, & multos labore passos in Regionum mutationibus, magnasque mol inclementia à calore, & frigore tolleratas, febr cum typo duplicis Tertianæ, & copiosa diarrhea, ritie in Hepatis regione; Innappetentia, & fici dum per vomitum eiicit materiam albam ad instar cum singultu, non tamen frequenti. A duobus p dicis curatus, nullum cognovit levamen, modo tissimis Apollineæ artis Cultoribus iterum poscit;

Ut de more, candide meum aperiam votum; Aviti coctrice per errores invictus ratione commissos, & lore, & frigore in itineribus per passis; quod pati provenire reor; quia febri, & diarrheæ, submir ria crassa, & cruda, translata ad vasa hippocondr non possit assimilari à calore naturali, tamquam i manet in viscerum cavitatibus, ubi obstructiones gis, magisque depravata; debitam sanguinis cir dat, & humoris pravi, & fermentativi, atque a get, & sic Febris resultat; neque de hac veritate

quia nemo dubitat febrem oriri, ab humore noxio, in corpore latente, quando à natura movente, & à calore nativo unito conante, tentatur expulsio humoris pravi; eo quia à pugna, irritatione, & majori motu, resultat febris, prout concordes omnes scribunt Doctores.

Clarissimus *Jacobus Sylvius in sua novissima de Febribus Idea pagina* 156. causam febris in impedita transpiratione refundit, verissimum namque est, quod vita animalium consistat in motu continuo particularum, ut nullo alio signo distinguantur gradus vitæ, & perfectionum, quam à pluralitate, & celeritate motuum, quos edunt; tales enim motiones fiunt à particulis animalis fluvidis, & consistentibus, mediante fermentatione, & effervescentia, quippeque, cum non tantum causa, motus animalis, sed etiam insensibilis transpirationis existat, mæchanica earumdem ratio clarè deducitur, prout monuit doctissimus *Borella*, & docuit oraculum nostri antesignani *Hippocratis*, qui *ad hoc*, *ut corpus reddatur sanum debet reddi perspirabile*, *scripsit*.

Joannes Baptista Vulpini eruditissimus Medicus, *in suo tract de Febribus pag.* 11. ex concretione febres oriri arbitratur, non intelligit tamen de fluvidorum concretione, & solutione, stricto modo, & rigorosè sumpta, quia hæc vitia non apparent, nisi cum fuerint consumata, prout observatur fortibus in Apoplexiis, læthalibus deliquiis, aliisque irreparabilibus ærumnis in sinu Cruoris, cum subitaneo animalis interitu, sed de illa tantum concretione loquitur, quæ circulari fluvidorum chorea, ad tempus tamtumodo remorata, absque sensibili aciditate, rancore; salsedine &c. ut in lacte concretto, gelatina, caseo, &c. observatur; in quibus concretionibus proprius non ammittitur sapor, prout serius, aut ocyus inde resolvitur, sic producit febres, mox breves, mox longas, mox acutas, mox lentas, mox benignas, mox malignas, aut pestilentes, &c. & quamvis dictum sit dissolutionem æquè ac concretionem plerumque concurrere, probabile tamen magis est concretionem ferè interesse, nam cum dupliciter hæc fieri contingat, per se scilicet, cum exoticorum salium spicula in fluvidorum porulos intimè infixa, absque ulla secretione, unum in corpus coalescunt, & per acidens, cum è liquidorum complexibus soluta, suique juris effecta, per diaphoresim, diuresim, ac ptyalismum, seu spongia manibus compressa, liberè nimis secedunt, undè cruor serositatibus fraudatus, fluvidi-

viditatem ammittere cogitur, ideò hoc modo capta dissolutio rum recessus, alia quidem phænomena, reumatismos scilicet rheas, diabetes, & similia producere valet; ideoque febris horum affectuum, comes, prodroma vel pedissequa ferè semp quamvis sub larva dissolutionis procedat, tertera ex sola coi ne, circularique motus interceptione, sine qua calor, & In rum motus dari non potest, ab hac potissima causa dependet

In hac sententia fundatur ratio proposita à præcitato doctissimo *Silvio*, qui arbitratur, quod sanguis, qui circulari motu p versam corporis ditionem in animalis æconomiæ restaurati promotionemque blandè defluit, si fortè in via impediatur descens accenditur, donec compedibus solutus, iterum liber letur; cui assentitur etiam sapientissimus Archiater *Laurentia ni, qui à sanguinis lentescentia febrem oriri docet, &c.*

Subtilissimus Phylosophus *Joseph Gallaratus*, auctor sanè per *cap. de febribus, pag.* 307. causam febrium à fermentatione d est enim fermentatio in humano corpore, particularum i lium, tam multifariorum alimentorum, quam diversorum torum subitanea remotio, à multifaria alimentorum, ac fe rum particularum diversitate, materia subtili, & aere pr quam multa etiam fermenta glandularum, Oris, Ventric testinorum, &c. inter se differant satis notum est, nec n quam multifariis particulis insensibilibus unumquodque hor stet, quæ omnia, si invicem comisceantur, non dubium e multifarias particulas non efficiant, quæ ratione figuræ, i dinis, numeri, soliditatis, flexibilitatis, densitatis, duri situs plurimum inter se differunt, & consequenter poros cu liari propriarum particularum structura analogos, & aliis e relinquant. Cum ergò ista materia primi elementi, ex qua materia constat nulli corpori sit exclusa, vel inclusa, quia ra, superficie, & magnitudine particularum prædita est, c per cum poris cujusvis corporis convenit, haud dubium e particulas has permeet materia hæc subtilis, particulasqu biles singularum propellat, quæ ex una partiuncula propuls aliam ingredi nescientes, propter diversitatem pororum, c gulæ habent, sequitur necessario, quod particulas, quam ingredi nequeunt, protrudant, ac removeant, & sic indef commotionem excitent; singulæ enim agunt, ut possin

poros figuræ, & magnitudini accomodatos, usque dum majorem dissolutionem nactæ sint, & eodem modo se habent in Intestinis, propter diversitatem glandularum intestinalium, & particularum fermenti, & affluxum bilis, & succi pancreatici planè inter se discrepantium, sed præcipuè in corde, ex quo considerandum est Chylum ratione diversorum alimentorum, ac fermentorum, aerisque, diversis particulis, constare, ex indefinitis generibus particularum acidarum, spirituosarum, salinarum, oleosarum, resinosarum, terrestrium, dulcium, amararum, austerarum, aliarumque innumerabilium, &c. prout apertè declaravit *Hyppocrates*, brevissimis illis verbis, *in est ergo in sanguine acidum, ponticum, amarum, dulce, & austerum, &c.*

Perpendendum igitur est has omnes particulas sanguini refluventi, & lymphæ comisceri ex infinitis diversis particulis, quod nullus Phylosophus negare audet, qui scit, quantum sanguis millenis vicibus circulatur, ac reiteratis in corde effervescentiis mutationes subierit. Facta itaque Chyli, cum sanguine analisi, reperiuntur particulæ salinæ, acidæ, oleosæ, spirituosæ, aliæque innumeræ, quæ aliam obtinent indolem, ratione figuræ, magnitudinis, situs, &c. quæ in Chylo adsunt, & re vera sunt æedem particulæ in Chylo, ac in sanguine, sed tantum diversæ ratione graduum effervescentiæ, ex quo omni numero, dicendum est, in his fermentationem debere excitari, nam observato Chylo conflato ex diversis alimentorum, potulentorum, ac fermentorum generibus, & in eo diversas acidi particulas reperiri, quarum aliæ sunt latiores, aliæ crassiores, aliæ incidentes, aliæ angustiores, aliæ tenuiores, aliæque pungentes, &c. deducitur, sana mente, has omnes particulas, ratione horum omnium, vel magis, vel minus idoneas existere ad commotionem, prout doctissimus *Vvillisius* docet, *libro de Fermentatione, cap.* 15. & cum eo clarè explicat, etiam clarissimus Phylosophus *Cartesius in ejus tractatu de Luce*, in quo probat, non tam locali remotione globorum secundi elementi, quam eorumdem conatu, omnes lucis proprietates consistere, &c. quem conatum Phylosophi, ferè omnes saniores, *effervescentiam esse* determinant, quia, nullo pacto fieri potest effervescentia, quin nonnullæ particulæ ad agitationem, vel motum, ac dissipationem maximè sint idoneæ, ut sunt acquosæ, & spirituosæ, quæ coguntur à mixta compage decedere; Acquosæ enim, ob majorem, quam obtinent, à materia subtili, expan-

expansionem, majorem spatium, motu circulari requirunt, quam nequaquam in meatibus strictæ compagis obtinere possunt, & prò indè necesse habent ab aliis se se separare, quod propter earum flexibilitatem præstare possunt; Spirituosæ quoque, ratione subtilitatis facilè etiam dissipantur, quia impulsu materiæ subtilis facilè protrahuntur, & cum ea advolant; Quo enim magis agitantur particulæ subtiles, eo magis datur libertas huic transpirationi, quod evidentissimè patet, quia videmus causam hujus transpirationis facilè inchoari, non solum in stomacho, sed etiam augeri in Intestinis, lacteis vasis, Mesenterio, ductuque Chylifero, & magis, atque magis promoveri in corde, in Pulmonibus, ac in vasis sanguiferis perseverare, unde necessaria evincitur illa transpiratio, quia partes componentes, debito ordine, dispositæ sunt, non tantum in quiete constitutæ, sed continuò fluendo, & cum talis fluxus in animali fieri non possit, nisi partes egrediendo discedant, scilicet transpirent, & aliæ advenientes vicem earum suppleant, loca exhinanita replendo, sequitur, quod necessaria sit transpiratio, nempè ut inutilia eliminentur, ne sua pravitate organicam structuram corrumpant, & ut adventus succi nutritii subsequi possit, ut partes deperditæ reficiantur; Ulterius quia talis adventus non succederet, nisi sanguis, velocissimo cursu à corde impelleretur, nec talis impulsus fieri posset, nisi circulari cursu sanguis moveretur, & hic non fieret, nisi spiritus in sanguine existentes, & à cerebro eò delati expansionem, & contractionem cordis producerent, ex quo comprenditur necessitas hujus transpirationis, ut vita animalis, non solum, sed etiam omnium vegetabilium persistat, & prolongetut, ut *ex Phylosophicis Boylianis experimentis*, evidentissimè deducitur, &c.

His igitur, breviter delibatis, prò primo meæ opinionis fundamento, transeo ad considerationem præjuditiorum, quibus gravatur præclarissimus noster *Ægrotans*, in quo apertè patent rationes suppositæ impeditæ transpirationis ab evidenti obstructione in vasis hepaticis, & ab aliis emergentibus, meridiana luce clarioribus, &c.

Per omnes cordatos Phylosophos facultas naturalis est illa vis animæ, qua corpus per spiritum membris insitum, & loci fermentum, ex nutriticio delato succo, per arterias, nutrit, auget, & generat, ideòque *nutrix*, *auctrix*, *& generatrix* dicitur, & quia natura singulis rebus certam deffinivit magnitudinem, ideò *Auctrix* quoque data fuit. *Nutrix* verò *facultas* alimentum, vi caloris innati, seu spi-

ſpiritus inſiti in parte agglutinat, & in membri ſubſtantiam vertit, ad hoc, ut deperditæ ſubſtantiæ fiat reparatio; hinc facultati *nutritivæ* inſerviunt prò organis Ventriculus, Inteſtina; Succus pancreaticus cum bile, Venæ lacteæ glandulæ Meſenterii, canaleſque Chyli pepequani, ſanguis, cui Chylus admiſcetur, & Cor, cum ore, dentibus, ſaliva, & alià; conſiſtitque *nutritio* in reparatione ejus, quod deperditur, vel in augumento membrorum, quæ ad majorem magnitudinem, & perfectionem feſtinant, ſuntque iſthæc duo affectus formales nutritionis, quæ celebratur, mediante pæculiari fermento, cum temperamento, ac textura partium ſingularum, præbendo materiæ, jam alinndè advenienti ultimam diſpoſitionem, per quam determinatur, ut tranſeat in ſubſtantiam ſimilem parti diſponenti; Naturales enim actiones omnes exercentur à ſpiritu innato, quia maſſa Sanguinea per Arterias delata ad partes nutriendas deffertur per tenuiſſimos canales in poros enutriendos, in quibus eructatur, ibique fermento reperto, factoque regulari congreſſu à membri particulis ſe devinciri permittit; Si verò plus ex alimento ſubſtantiæ accedat, quam ex corpore effluat, tunc vivens ſimul nutriri, & augeri dicitur, quamvis non quælibet acquiſitio quantitatis, acreſcio ſit dicenda, ſed ea tantum credatur acreſcio, per quam major totius corporis moles acquiritur, ſecus vivens toto ſuæ vitæ tempore augeretur, ac imminueretur, ſic ſi tantum accedat, quantum deperditur vivens nutriri ſolumodo dicitur, undè nutritio fit continuè, & ſucceſſivè; non per intervalla, vel in inſtanti, quia non poteſt introduci, niſi per motum & per conſequens in tempore.

Acutiſſimus Phyloſophus *Joannes Helmontius* opinatur, quod quilibet noſtrum *ſeptem circiter uncias Sanguinis*, ſingulo quoque die conficiat, qui ſenſim in ſerum albugineum, ſeù vitalem mucilaginem nervoſarum, ſeu ſpermaticarum partium in verum, & immediatum alimentum convertitur, quod olim ſub nomine *roris*, *cambii & glutinis* deſcribebatur, atque in ſingulis culinis minimis perficitur, ut à ſiccitate, & ſenio membra arceantur; Spiritus itaque ab aſſumptis alimentis ſuſcepti, per aliquas qualitates manifeſtari poſſunt, prout in urinis interdum evincitur; Qui ſpiritus, ſi in aliqua parte incuneati expulſioni non obtemperant, fiunt occaſionales morborum cauſæ, à quibus deindè variè commotus, atque *indignatus Arcbeus*, *ſeù ſpiritus ſenſitivus*, varios morbos concitat, neque ceſſat à motibus, ac niſibus ſuis, donec irritantem cauſam, non expellat, cum minimè

ve-

verum sit quod Ventriculus Chylo nutriatur; quia *iisdem nutrimur quibus constamus*; non enim constamus Chylo, sed sero albugineo, quæ est immediata seminis materia, nulla enim fit nutritio, nisi prius nutrimentum vitalibus spiritibus induatur, itaut neque Cor ipsum nutriatur, nisi prius in Ventriculo sinistro liquor nutriticius spiritu animali imbutus, per Arteriam coronariam ad cordis nutritionem deferatur; Sicque fit caro, dum cruor ex massa sanguinea facile labitur ad rubras partes, & ad viscerum parenchimata, intra musculorum stamina, & sacculos membranasceos; sicuti serum albugineum prò alendis partibus albis, seu spermaticis, non tam facilè labitur, sed sensim, & sensim extillat, & filtratur à nerveis fibrillis, & à partibus nervosis, ideoque longo morbo extenuati, etiam in qualibet, ætate pristinum carnis statum recuperare facilè possunt; non sic verò, qui vitio seri albuginei notabilem læsionem, vel ammissionem in partibus spermaticis passi sunt, quia aluntur magis elaborato liquore, quam cruore.

Partes itaque, quæ sero albugineo magis, magisque elaborato liquore nutriuntur, certa habent sui nutrimenti tempora, atque diutius in sua figura, & statu perseverant, partes verò, quæ cruore nutriuntur sunt instabiles, & modò augentur, modò diminuuntur, cum corporis incomodo; Nutriuntur enim; dum ultima digestio fit in culinis singulorum membrorum, quia spiritus innatus, cuique membro partis fermento insidens delatum alimentum in membri substantiam mutat; rationabile enim est, in partibus nutriendis esse acidum quoddam fermentum coagulativum, atque assimilativum vitali, ac naturali scopo aptum, quod ad coagulandum nutrimentum liquidum, & in sui substantiam vertendum inserviat, prout fusè scripserunt *Tachenius*, & *Pompejus Saccus* Præceptor meus semper laudandus, &c.

Stabili etiam fundamento nititur ista opinio, quia observatum est, quod postquam æthereus spiritus in semine veluti soporatus, si per calorem excitetur, agere incipit, neque quiescit donec præfixum cursum, & metam attigerit, eo quia per inspirationem, atque per pabulum æthereum, occultus vitæ cibus per Pulmonem ad Cor trahitur, qui solis vices gerit in Microcosmo, centrum ignis, & lucis pariter, ut Sol, in quo vitalis ignis accenditur, & animalis spiritus lumina producit, immò facultates omnes, & universa vitæ organa armonicè movens, vitam, & motum omnibus, & singulis, prò exigentia inspirat, unde Cor, veluti *Pater universalis* omnia membra gubernat, omnibus *providet*, *præsidet*, & *dispensat*, dum vitali aura repletur, & quia solus omni-

omnibus sufficere non posset, vires elargitur Stomacho ad cibum conficiendum, & per cibum suorum spirituum multiplicationem inducit, nam lacteo Chyli succo involuti alimentorum spiritus, dum ad Cor perveniunt ibi vitaliter animantur, prout eximiè observavit *Vvillisius*, qui docet plurimum conferre naturale fermentum Ventriculi, quamvis ab aliis fermentis in hoc discriminetur, quia ea, quæ penetrat, ità dissolvit, ut volatili zata erumpant in spiritus, dum alii spiritus acetosi coagulantur cum dissoluto, facta dissolutione, & sic alimentum in spirituosam substantiam convertitur, seù pocius dissolvitur, ut vitales spiritus aliorum spirituum aucthores augeantur, quamobrem sancitum fuit ab omnibus ferè Phylosophis, & sanioribus Medicis, *quod obiectum universale omnium istarum actionum sit alimentum*.

His igitur positis, intelligitur obscurus dicendi modus *Paracelsi*, *qui in libro de principiis morborum ait duo sunt homines visibilis, & invisibilis; duplici namque modo creatur homo, in semine, & in alimento; In alimento invisibilis est homo, nam ex alimento fit corpus omninò simile homini facto à semine; sale interim coagulante fiunt corporis nutritiones, & acresciones, sine enim sale nulla datur coagulatio, quia à sale omnis durities advenit, &c.*

Massa enim sanguinea, vitalis spiritus sedes, per Arterias, veluti per rivulos totam Microcosmi terram irrigat, dum interim sagax ignis insitus membrorum occulto artifitio illapsum Succum nutriticium in ipsorum poro sitatibus perficit in nutrimentum, id verò, quod jam effectum est, ut inutile tarefacit, & vaporis forma exhallare facit, ex quo resultat illud *Hippocratis* oraculum, quod *homo sanus esse non potest, nisi etiam laboret; opportet verò laborum vim pernoscere; tam naturalium, quibus carnes augentur, tam eorum, qui per vim fiunt, & carnes extenuant, &c.* Ex quo evincitur necessaria alimentariorum Succorum successio in membris facta, ut per transpirationem veterum, & novorum Succorum nutritio sequatur, & sic sanitas servari possit; Acidum namque fermentum in singulis membris repertum alkali proportionatum, modica facta effervescentia concorditer, & sine lucta hostili, laborem naturalem perficit, & hoc modo sequitur partium nutritio, & augumentum, prout eximiè docet celebratissimus *Pompejus Saccus in ejus libro de principiis sanguinis, unde de Albali, & acido, capit. 1. pag. 2.*

Ex quibus dictis, raptim meditatis, resultat ratio Diarrheæ in nostro strenuissimo *Ægrotante*, tum quia à prava victus ratione, à molestiis in

in Itineribus, & Aeris mutationibus per paſſis, tum ab ipſa febre, à qua ſanguis, ſuæ compagis laxitatem adeptus, principiorum eum conſtituentium diſſolutionis initia ſuſcepit, & eo magis cum in tali efferveſcentia ſalinæ partes fuerint exahaltatæ, una cum ſulphureis, quæ ſua corroſione, & impetu laxitatem, & diſſolutionem coadiuvare potuerunt, quia in hac diſſolutione primò præcedit ſegregatio excrementorum à ſanguinis natura degenerantium, ſecundò præter excrementa in ſanguine contenta, ſegregantur etiam portiones ſanguinis à motu iſtius præternaturali, & à mala qualitate fermenti ſalini, & ſulphurei exhaltati, & in depravatæ naturæ conditionem converſæ, cum putredinis noxa, quod facile contingit, non ſolum ratione motus, quo alia combinatio particularum portioni ſanguinis impartitur, humoremque alienum à natura conſtituens, ſed etiam quia in tali motu innordinato ſanguinis hujus portiones ita laxantur, ut ſpiritum inſitum, in quo naturalis calor fundatur, fugam arripere permittant, ſubeunte putredine, *quæ eſt caloris interritus*, juxtà *Ariſtotelis* documenta, &c.

Hinc Diarrhea ab alimentis pravis, & à facultate concottrice debilitata incipiens, ſuæ continuationis progreſſum, & durationem ſuſcipit à prædictis excrementis, & humoribus putridis ſegregatis, ope fermentationis febrilis, & in cavitatem Inteſtinorum eructatis, ab extremis orifitiis Arteriarum in eam deſinentium, &c. quæ etiam fovetur ab humoribus putridis, & de novo genitis, ab immoderato motu efferveſcentiæ ſanguinis, & ſic perſeverans, & copioſa exiſtit, ex quo patet ratio fatendi continuò excrementa in ſanguine generari, quia ſi excernerentur excrementa tantum in ſanguine collecta à prædicta cauſa, fuiſſet brevioris durationis, quæ cum ita non ſequatur, concludendum eſt, excrementa de novo ſemper generari in ſanguine, neque de hoc eſt ambigendum, quia niſi ſanguinis in illa non degeneraret cum certo juditio ejuſdem principiorum diſgregationis, & omnium ferè particularum in ejus conſtitutionem ingredientium non ſequeretur prædictæ Diarrheæ continuatio, ex quo etiam reſultat cauſa febris continuationis, quia ob laxitatem in tali efferveſcentia conceptam ſanguis ſemper magis redditur aptior ad efferveſcendum in corde, eodem modo, quo doctiſſimi *Polyatri Uvillis*, *Saccus*, *Borella*, *Schælamerus*, *& alii*, in eorum *tractatibus de febribus* docent, & explicant, &c.

Prò aſſignanda verò cauſa vomitus, ſatis manifeſta evincitur ratio determinandi, quod producatur è cruditatibus in Ventriculo exiſtentibus, quæ moram facientes in eo, ſua craſſitie ſemper magis acidæ, & acres evadunt,

dunt,

dunt, exahaltato eorum ſale fixo à prava fermentatione per proprium particularum motum producta, quibus qualitatibus, irritando Ventriculum, ejus Membranæ contrahuntur ad earum expulſionem, juxtà documentum citati Clariſſimi mei Præceptoris *Pompei Sacchi lib. conſultation. 53. pag. 199.*

Ab hac etiam ſequitur ſingultus, quia portio intima à rugis membranarum amplexata, ſimili irritatione eas vellicando, ad motum expulſivum deducunt, ſed quia ſunt intimæ fixæ, & ab eiſdem plicis detentæ, non poſſunt expelli, & ſic ſuſcitatur motus ſingultum efficiens, tracto in conſenſum diaphragmate, vel quia ab eadem materia acri, & vaporoſa laceſcitur, quia in Ventriculum flatibus diſtenſum in ſua contractione impingendo, cogitur ſuum motum interrumpere ad ſingultum, concurrendo, hoc modo per conſenſum; Materia verò alba ad lactis concreti inſtar, quæ per vomitum excernitur, nihil aliud eſt, quam pars Chyli nimis craſſa, quæ cum non poſſit per infarcta vaſa pertranſire, ratione ſuæ craſſitiei, & obſtructionum venarum lactearum, à natura, tamquam inutilis reiicitur, eo modo, quo pars farinæ craſſioris, cum non poſſit per nimis anguſtos porulos Cribri pertranſire, per ſuperiora eiicitur, prout elegantiſſime monet doctiſſimus *Andrioli cap. 10. de Chylo, pag. 19.* ſcribendo quod *Chylus valdè dilutus eſſe debet, ne in medio itinere inter comune receptaculum, & venam ſubclaviam, aliqua cauſa concreſcat, nam erecto corpore Chylus per thoraxica vaſa difficulter aſcendit, indè ob motus tarditatem ad coagulationem proclivior fit, &c.*

Iſtis breviſſimè conſideratis, modò diſcurrendum eſt de curatione, prò qua ſtabilienda, proponerem aperitiva, confortativa, & nutritiva, inhærrendo ſaniorum practicorum documentis; Multi enim doctiſſimi Authores proponunt uſum Rabarbari terrefacti, cum decoctione mirabolanorum; Alii martialia laudant, quæ in hoc caſu diarrheæ, & vomitus non improbo, non tamen, ut obſtructiones tollantur, ſed tantum, ut æfrenis bilis activitas cohibeatur; quibus præmiſſis laudarem potionem factam cum Jure Vituli, Pullorum, & carnium Teſtuginis, nemoralis, & Cancrorum fluviatilium, & in hoc perſiſterem per menſem, exhibendo *Ægrotanti* libras tres hujus luſculi, in tribus vicibus ſingulo die; ſed quia non deſunt peritiſſimi *profeſſores*, ab eorum prudentionibus oraculis majora remedia expectabo, avidus ab eorum doctrinis clariora capiendi lumina, unde hæc mea debilioris mentis, & intelligentiæ infirma locutio venerabundo cedit ſilentio. Sub cenſura, &c.

Raptim ſcribebat Florentiæ, pridie Idibus Septembris, Anni ſalutis ab ortu Divini Solis, milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi quinti.

JO. PAULUS FERRARI PATRICIUS PARMENSIS
Philoſophus, & Medicus, &c.